



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Privilegia Quaedam Prussica Notis & Animadversionibus Necessariis
illustrata Opera Et Studio Christophori Hartknoch.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

PRIVILEGIA
QUÆDAM
PRUSSICA
NOTIS
&
ANIMADVERSIONIBUS
NECESSARIIS
illustrata
OPERA ET STUDIO
CHRISTOPHORI Hartknoch.

elb. loc. LXXIX.

PRIVILEGIUM
QUAEDAM
PRUSSICA
NOTIZ
&
ANIMADVERSIONIBUS
NECESSARIIS
illustratis
OPERA ET STUDIO
CHRISTOPHORI BONTMANN

MDCCXXIX



PRIVILEGIUM^(a) CUL- MENSE.

Fater Eberhardus dictus de Seyne, Præceptor Domus S. Mariæ Teutonicorum per Alemaniam & Vices gerens Magistri Generalis per Livoniam & Prussiam, Universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, orationes in Domino Jesu Christo. Noverit universitas vestra, quod Nos, cum ad partes Prussiarum pro negotiis plurimis venissemus promovendis, inter alia, quæ nobis diffinienda occurrerunt ibidem negotia, Cives Culmenses ac Thorunienses turbatos invenimus pro eorum Privilegio, quondam eis à Magistro bonæ memoriæ Fratre HERMANNO dicto de Salcza, & Fratre Hermanno Balkone, primo ejusdem Terræ Commendatore, donato, & postmodum per incendium Civitatis Culmensis amisso, cujus rei veritatem à Fratribus nostris ac aliis viris honestis Nos plenius cognoscentes, de communi consilio Fratrum nostrorum ibidem existentium, pariter & consensu dictos Cives lætificantes, Privilegium prædictum ipsis restaurandum duximus, in hunc modum.

Frater Hermannus Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Iherosol. Magister & Frater Hermannus Balko ejusdem Ordinis in Prussia Provisor, nec non totus ejusdem Domus Conventus, universis Christi fidelibus, hanc paginam inspecturis, salutem in vero Salutari. Quanto plura quantoque majora Culmensis Terræ ac præcipue Civitatum nostrarum incolæ,
Cul-

- Culmenſis ſcilicet & Thorunenſis tum pro Chriſtianitatis de-
 feſſione, tum pro Domus noſtræ promotione discrimina ſuſti-
 nebant, tantò ardentius atque efficacius in omnibus, quibus cum
- I.** Juſtitia poſſumus eis adefſe volumus & debemus. (b) Hinc eſt
 quod eiſdem Civitatibus hanc indulſimus perpetualiter liber-
 tatem, ut earum Cives eligant ſibi in iisdem Civitatibus ſingu-
 los Judices annuatim, qui domui noſtræ & Communitati Civi-
 tatum competant earundem. Eiſdemque Judicibus ceſſimus
 perpetualiter de parte tertia mulctarum Judicialium, pro culpis
 majoribus penſatarum; pœnam minorum exceſſuum, quæ
 Quotidiana dicitur, videlicet XII. nummos & infra eis totaliter
 concedendo. Ita ut quicquid de talibus Judex infra Tribunal
 indulſerit, de quatuor ſolidis videlicet, & infra, id etiam ex par-
 te Domus noſtræ ſit indultum. Veruntamen de majoribus cul-
 pis, ut ſunt homicidia, ſanguinis effuſio & his ſimilia, Judex abs-
 que Fratrum noſtrorum aſſenſu nihil remittat. Nos etiam
 partes illas, quæ nos contigerint, in eiſdem Judiciis vendere &
 inſœdare cuiquam non debemus. Igitur Civitati Culmen de-
 dimus ad prata, paſcua & alios uſus communes, à terminis cu-
 juſdam villæ, quæ Viſt appellatur, per deſcenſum Viſſæ, uſque ad
 terminos cujuſdam lacûs, qui dicitur Renſehe, & de ipſo lacu
 aſcendendo, uſque ad villam quæ Rude vocatur, & juxta termi-
 nos ejuſdem villæ uſque ad aliam Villam Lunave dictam, & ſic
 directè ad viam, quæ ducit ad inſulam S. Mariæ, per viam verò
 directè uſque ad terminos cujuſdam villæ, quæ Grobene dici-
 tur, & ſic ulterius ad vallem quæ Brovina nuncupatur. Ne hoc
 tacendum eſt, quod liberum erit piſcari ſape dictis Civibus in
 prædicto lacu, qui dicitur Renſehe, ſicut & nobis. Præterea ſu-
 pra dicta Bona tam in ſylvis, quam in pratis & agris, cum omni
 utilitate, quam domus noſtra percipere poſſet exinde, dicti Ci-
 ves in perpetuum liberè poſſidebunt. Flumen verò Wiſſam à
 Villa quadam, quæ dicitur Topulna per deſcenſum uſque ad la-
 cum,

- rint, absque omni nauolo perpetualiter cum rebus eorum, quas
 XIII. secum habuerint, traducantur. Quod si quis ex ductoribus nau-
 vium ex prædictis aliquem traducere ausu temerario contradi-
 xerit, leviori culpæ subiaceat, quali scilicet quatuor solidorum
 XIV. poena consuevit asseribi. Promissimus etiam, ut in eisdem Civi-
 XV. tatibus nullas domos emere debeamus: Si verò aliquis domum
 aut aream suam domui nostræ contulerit intuitu pietatis, eam
 ad alios usus construere non debeamus, nisi ad quos aliquis ex
 civibus construet domum suam, & eadem exinde jura & con-
 suetudines observare, quæ & quas alii de suis domibus observa-
 XVI. bunt. In his tamen conditionibus Munitiones nostras, quas
 XVII. in eisdem Civitatibus jam habemus, volumus non includi. Pa-
 rochiam in Culmine dotavimus quatuor mansis juxta Civi-
 XVIII. tem & aliis quadraginta, ubi eisdem fuerint demonstrati. Pa-
 rochiam verò Thorunensem dotavimus quatuor mansis juxta
 Civitatem, & aliis quadraginta, ubi ei fuerint assignati. Et in
 eisdem Ecclesiis jus Patronatus nostræ Domui retinemus, eis in
 XIX. Plebanis idoneis provifuri. Cæterum si aliqua Parochiæ in vil-
 lis supra dictorum Civium fabricatæ fuerint, si tum villarum
 XX. singulæ earundem octuaginta mansos vel amplius habuerint,
 promissimus parochiarum quamlibet prædictarum quatuor
 mansis de nostra speciali parte dotare, & jus Patronatus habebi-
 mus perpetuò indotatis, eis etiam in idoneis Sacerdotibus pro-
 XX. vifuri. Adhæc statuimus, ut si qua fortè quæstio contra aliquem
 de Bonis suis orta fuerit, si possessor vicinos ac alios conterrane-
 os suos, quibus notum fuerit rem taliter se habere, & testimoni-
 um justæ possessionis habuerit, potius debeat obtinere Bona il-
 XXI. la, quam is, qui eum impetit, ab ipso eadem Bona alienet. Ab-
 solvimus autem prædictos Cives ab omnibus Collectis injustis
 & hospitationibus coactivis aliisque exactionibus indebitis, ad
 XXII. omnia Bona eis attinentia hanc gratiam extendentes. Porrò
 eisdem Civibus nostris vendidimus Bona sua, quæ à Domo no-
 stra

stra habere noscuntur ad hæreditatem Flammigicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexûs ea cum omnibus proventibus in perpetuum liberè possidenda, salvis tamen his, quæ Domui nostræ per totam terram duximus retinenda. Retinemus enim Domui nostræ in Bonis eorum omnes lacus, castores, venas falis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli præter ferum, ita ut tamen inventor (d) auri, sive is, in cujus Bonis inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in terra Ducis Slesia in hujusmodi, talibus est concessum. Inventor autem argenti, sive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Friburgense in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Quod si lacus aliquis ad tres tractus sufficiens agris alicujus prædictorum Civium adjunctus fuerit, si is, cujus agri sunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in sua ponimus optione. Si verò major fuerit, quocunque instrumento in eo piscari voluerit, ad commodum duntaxat mensæ suæ præter rete, quod (e) Nevvod dicitur, habeat liberam facultatem. Item si rivus aliquis agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, solummodò molendinum ædificare liceat in eodem: Si verò idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, Domus nostra in construendis eisdem aliis tertiam partem priorem sumptuum faciat, & percipiat perpetualiter tertiam partem usuum de constructis. Volumus etiam, ut de qualibet fera, quam ipsi vel eorum homines ceperint, exceptis urfis, porcis, & capreolis, armum dextrum Domui nostræ reddere teneatur. Sane quod de lacubus, molendinis seu feris posuimus, ad illos duntaxat Cives extendimus qui à domo nostra, sicut supradictum est, hæreditati esse noscuntur. Iphis etiam hanc contulimus libertatem, ut Bona sua, quæ à Domo nostra possident, vendendi talibus sanè, qui Terræ ac Domui nostræ bonè competant, habeant facultatem, ita ut hi, qui ea emerint, de manu Fratrum suscipiant, & Domui nostræ ad idem jus idemque servitium teneantur, quod illi nobis exinde

Mmm 2

facere

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

- XXIX. *.IIXXX* facere debuerunt, & nos ea ipsis porrigere sine ulla difficultate debemus. Licentiamus etiam, si fortè aliquis antedictorum Civium necessitatis causa allodium suum, vel X. mansos ad majus, ab aliis Bonis suis separare voluerit & vendere separatim, is idem jus idemque servitium Domui nostræ debet facere de reliquo, quod prius de toto noscitur debuisse. Is verò qui idem allodium vel X. mansos emerit, debet ratione ejusdem allodii cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis & uno equo, ad arma talia competente Domui nostræ ad tale obsequium esse adstrictus, quale inferiùs plenius describetur.
- XXX. *.VIXX* Addentes, ut nullus eorum, qui nunc à Domo nostra hæreditati esse noscuntur, hæreditatem aliquam possit emere, præter unam.
- XXXI. *.XVIII* Statuimus siquidem, ut, quicumque XL. mansos vel amplius à Domo nostra emerit, is cum plenis armis & dextrario aperto & armis talibus competente, & aliis (*f*) duabus ad minus equitet.
- XXXII. *.IVXX* Qui verò pauciores mansos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis & uno equo, ad arma talia competente, debet cum Fratribus nostris in expeditionem, quoties ab eis requisitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes Terræ Culmensis turbatores.
- XXXIII. *.IIVXX* Cum verò præfati Pomezani in Terra Culmensi, præstante Domino, fuerint ulteriùs meritò non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen Terræ, videlicet usque ad Wiffam, Ozzam & Drivvanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædictum est contra Terræ quoslibet invasores.
- XXXIV. *.IIIVXX* Item statuimus, ut quilibet homo, hæreditatem à Domo nostra habens, Fratribus nostris solvat exindè unum nummum Coloniensem, vel pro eo quinque Culmenses & pondus duarum marcarum ceræ in recognitionem domini, & in signum, quod eadem Bona sua habet à Domo nostra & nostræ debeat Jurisdictioni subesse, & nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui sibi injuriam intulerint,

rint, debemus, in quantum possumus, nostrum praesidium impartiri. Praedictum autem censum singulis annis in die Beati Martini, vel ab ipso ad XV. dies dare debent. Quicumque autem in praedicto termino non dederit censum suum, taliter puniatur: Post primos XV. dies in X. solidis; Elapsis vero aliis XV. nisi persolverit, X. solidorum debito sit adstrictus; Item evolutis aliis XV. diebus tertio in aliis X. solidis, si non solverit censum suum, puniatur, & nunc pro his XXX. solidis, & pro censu suo tempore non soluto, ejus pignora, sine omni contradictione, accipi faciet, & habebit accepta, donec ei satis faciat Domus nostra. Item si forte aliquis debitum obsequium suum, quod Domui nostrae debere dignoscitur, in expeditionibus peragendis, non impenderit, & absens fuerit, Provisor Terrae de Bonis absentis alium statuatur loco sui, sic ut Domus nostra sui juris in hac parte sentiat nullatenus detrimentum. Item statuimus, ut si forte aliquis ex supradictis Civibus recedens a Terra pactiones suas Domui nostrae non fuerit prosecutus, eidem infra XVIII. septimanas tres termini cum sententia praefigantur; Quod si infra eandem XVIII. septimanas non satisfecerit, poenae XXX. solidorum nostrae Domui reddendorum subjacebit; Et si nec tunc emendaverit, singulis sex septimanis ad satisfactionem in totidem Culmensis monetae solidis compellatur. Si vero infra annum neglexerit emendare, Domus nostra se de omnibus bonis suis, donec satisfaciat ei de omnibus, intromittat. Volumus autem, ut de Bonis praedictorum Civium, de quolibet aratro Teutonicali unus modius tritici, & unus siliginis in mensura Vladislaviensi, quae vulgari nomine Scheffel dicitur, cui mensura Culmensis est adaequata, & de Polonicali aratro, quod Hasse dicitur, unus modius tritici, in eadem mensura annuatim Dioecesis Episcopo pro Decimis persolvatur. Si vero idem Episcopus praedictos homines pro aliis Decimis angariaverit, pro his Domus nostra tenebitur respondere. Item statuimus, ut

XXXV.

XXXVI.

XXXVII.

XXXVIII.

XXXIX.

XL.

M m m 3

una

una moneta, Culmensis videlicet, sit per totam Terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipsi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perseverent, ut eorum LX. solidi ponderent unam marcā : Et dicta moneta non nisi semel in singulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambiantur, ut unusquisque liberè emat, quamcunque rem, quæ venalis in foro portari consuevit. Item quantitatem mansorum juxta morem Flammingicalem statuimus observari. Absolvimus etiam totam Terram prædictam ab omni penitus telonei exactione.

XLI.
XLII.

Et ne præmissæ constitutiones, promissiones ac pactiones ab aliquo Successorum nostrorum infringi valeant aut mutari, præsentem paginam conscribi fecimus, eam bullarum nostrarum appensionibus roborando. Hujus rei testes sunt Fratres nostri, Poppo de Osterna, Albertus de Langenberch, Theodoricus Marschalcus, Berlevvinus in Culmine, Ludovicus in Quidzin Provisores; Seculares verò Burchardus Burggrafius Megdebergensis, Joannes de Pach, Fridericus de Schervest, Bernhardus de Kamentz, & alii quamplures, tam religiosi quam seculares. Acta sunt hæc in Thorun Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo, Ducentesimo, trigesimo tertio, Quinto Calendas Januarii. Quoniam igitur hoc Privilegium per Nos Fratrem Eberhardum de Seyne est renovatum, de consilio Fratrum nostrorum Civiumque sæpe dictorum consensu, quædam in eo sunt mutata, articulis scilicet quibusdam exceptis & quibusdam interpositis, qui in Privilegio non continebantur antiquo. Ut autem hæc nostra felix donatio firma & inconcussa permaneat, ne in posterum ab aliquo possit infringi; Cives quoque dicti super hac sui mutatione Privilegii nullum penitus gravamen sustineant, præsentem paginam Sigilli nostri munimine roboramus. Hujus rei testes sunt Fratres nostri Ludovicus Provisor Prussiæ, Henricus Commendator Terræ Culmensis,

enu

g m m m

sis,

sis, Henricus Marschalcus, Henricus Stango in Christeburg, Harthmundus in Elbingo, Mengotus in Balga, Zuhalo in Zantir, Joannes in Culmine, Ravino in Thorun, Hertvvicus in Redino Commendatores, Fratresque Domus seniores, Theodoricus de Sulinge, Conradus de Norenberch, Volpertus de Marpurg, Henricus de Moguntia : Seculares verò Joannes Scultetus, Reinico, Razo, Radolphus, Ludeko, Ekehardus, Wasmundus, Cives Culmenses: Fœdales verò Hildebrandus Senior, Gotfridus, Fridericus de Neu, Wilhelmus, Hermannus Schultetus in Thorun, Dithardus, Conradus, Lampertus, Lutdechus & alii quamplures tam Religiosi quam Seculares. Datum in Culmine Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Ducentesimo, Quinquagesimo Primo, Calendis Octobris, &c.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Autographum hujus Privilegii exemplar est in tabulario Thoruniensi. Vid. quæ ea de re diximus in Animadversionibus nostris ad *part. III. Dusbürg. cap. 58.* Quamvis autem hoc Privilegium justo posset illustrari Commentario, nos tamen eo labore jam superfedemus, cum plurima, quæ ad intelligentiam ejus faciunt, partim in Animadversionibus ad Dusbürgensem, partim in Dissertationibus nostris jam sint allata. In primis consuli possunt Dissertationes: De jure Prussico, de Republ. Prussorum & De re monetaria Prussorum.
- (b) Distributio Privilegii hujus in certa capita licet in autographo non habeatur, addere tamen hos numeros placuit ex Germanico exemplari, quod est Regiomonti in Bibliotheca Wallenrodiana, quo facilius verba Privilegii passim à nobis citata inveniri queant. Habent, scio, alia exemplaria Germanica alias divisiones, hæc tamen nobis præ cæteris placuit.
- (c) Monuit hic amicorum nonnemo, incommodè duo illa conjungi. Insulas & Castores; sibi que videri, errorem hunc fluxisse ex Germanico Privilegii Culmensis exemplari. Cum enim in eo legeretur: *Warder und Bieber* / interpretes legit *Werder und Bieber* / reddiditque in Latino, Insulas & Castores. Hæc licet speciem veri præ se ferant non exiguam, convelli

velli tamen possunt ex avtographo Thoruniensi. Nisi forte dicere velis, primum illud Privilegium ab ipso Hermanno de Salza & Hermanno Balke An. 1233. concessum fuisse Germanico idiomate scriptum, aut etiam ante everfionem Civitatis Culmensis ex Latino avtographo in varia Germanica exemplaria traductam; postea verò combusto in incendio urbis Culmensis avtographo, ex Germanica versione Eberhardum de Seyne suum adornasse renovatum exemplar. Sed hic quilibet suo abundet sensu.

- (e) Niev vod etiam hodie vocatur à Prussis Polonorum vicinis.
 (f) Duobus fortasse legendum. In Germanicis enim Exemplaribus hæc ita leguntur; das er mit vollen Wapen / und mit einem verdeckten Rosse / und folgeten Wapen / zum mindesten mit zwey andern Reutern komme.
 (d) Fodinæ auri in Silesia tempore Hermanni à Saltza fuerunt celebres Goldbergæ, quæ urbs etiam nomen suum inde sortita est. Addit etiam Henselius in Silesiographia cap. 2. alias urbes fodinis olim non minus celebres, ut sunt Lemberga & Strigavia. Hodiè celebrantur: Zuckmantel Reichenstein & Thal des Niesengebürges / item Laugenaus / Gronaw / Schmocheissen. Fodinæ argenti post tempora hujus Magistri in Silesia sunt repertæ, quam ob causam Silberberga, Tarnovitz, Reichenstein ab Hennelio celebrantur. FREIBERGENSES Fodinæ An. 1180. repertæ sunt. Vid. Dn. Frid. Butnerus Mathem. Gedanensis in *Fastis An. 1668. Questione. 2.*





PRIVILEGIUM ^(a)

*Pruthenis à Legato Pontificio ^(b) Anno
1249. d. 7. Id. Febr. concessum.*



Niversis presentes literas inspecturis, ^(c) Jacobus Leodiensis Archidiaconus, Domini Papæ Capellanus, ac ejusdem in Polonia, Prussia & Pomerania vicemgerens in Domino salutem. Noverit universitas Vestra, quod cum inter Neophytos Prussiae ex parte unâ & Religiosos Viros ^(d) Magistros & Fratres Domûs Teutonicæ in Prussia ex altera graves discordiæ ortæ essent super hoc, quod dicti Neophyti dicebant, quod licet à felicitis recordationis ^(e) Innocentio Papa III. Honorio & Gregorio Romanis Pontificibus, Prædecessoribus Patris nostri ^(f) Innocentii IV. qui nunc divina clementiâ providente præest Ecclesiæ S. Dei ipsis Neophytis esset concessum, ut cum vocati essent in libertatem filiorum Dei ex aqua & Spiritu S. renati in libertate sua manentes nulli alii essent, quam soli Christo & obedientiæ Romanæ Ecclesiæ subiecti, dicti tamen Magistri & Fratres contra hujusmodi concessionem venientes ^(g) *** tollere supra se svave jugum Domini formidabant. Et cum super hoc fuisset coràm prædicto SS. Patre per Procuratores partium prædictarum diutius altercatum, & per ea quæ pro utralibet partium fuere proposita, coram ipso plenè non potuerit scire veritatem, ipse hujusmodi dissensionis exstinguere fomitem & discordes ipsos optans ad concordiam reducere unitatem, nos ad partes illas transmisit, dans nobis

N n n

lite-

literis Apostolicis in mandatis, ut partibus ad nostram præsentiam convocatis sollicitè tractarem de facienda concordia inter ipsos. Nos igitur ad partes Prussiæ de mandato Apostolico pro solo Bono obedientiæ Papæ huc specialiter accedentes, partibus ad nostram præsentiam convocatis, de dicta concordia tractavimus diligenter, & easdem partes Domino favente ad concordiam unitatem reduximus sub hac formâ.

In primis siquidem dicti Magistri & Fratres ardenti desiderio affectantes, ut negotium fidei Christianæ liberè in partibus illis currat, & nomen Domini nostri Jesu Christi in gentibus dilatetur, & hoc præcipuè quarant in illis partibus, (b) sicut dicunt neophytis supradictis jam ad fidem conversis & baptizatis, nec non & paganis omnibus in eisdem circumjacentibus partibus convertendis & baptizandis in nostra & venerabilis Patris (i) Herdueri (k) Culmensis Episcopi ad hoc à nobis specialiter vocati præsentia, præsentibus & pluribus aliis bonis viris talem libertatem liberaliter CONCESSERUNT, ut videlicet licitum sit iisdem Neophytis emere res quascunque à quibuscunque voluerint aliisque modis justis acquirere prout voluerint & valuerint, sibi que viderint expedire, & quod quid emerint vel acquisiverint sibi ipsis acquirant & hæredibus suis legitimis. Ita videlicet, quod quando aliquis ab eis recesserit ab hac vita habens filium vel filiam, quæ nunquam fuerit maritata, (l) vel utraque, isti succedant iisdem. Et si filium vel filiam non habuerit & adhuc Parentem & matrem habeat, succedant isti suo filio morienti. Si verò nec filium, nec filiam, nec Patrem, nec Matrem, & adhuc filius sui filii sit superstes, succedat avo suo. Porro si nullum habuerit superstitem de prædictis & habuerit Fratrem, succedat & idem Frater, & si ipse frater morte præventus reliquerit filium, idem filius fratris succedat Patruo moriente. Quæ prædicti neophyti gratanter acceptarunt, cum in paganis (m) hæc non habuissent, ut dicebant, nisi solos filios successores, & con-

cesse-

cesserunt iidem neophyti coram nobis & aliis ante dictis libera voluntate, ut si quis ex eis vel successoribus suis obierit, & nulum superstitem reliquerit, de omnibus hæredibus antedictis; omnia Bona ipsorum immobilia ad Magistrum & Fratres prædictos, & domum eorum & alios Dominos, sub quibus iidem Neophyti manserint liberè devolvantur. Et idem de mobilibus, nisi ipsi Neophyti in vita, vel in morte de illis aliud duxerint ordinandum. **CONCESSERUNT** etiam prædicti Magistri & Fratres Neophytis antedictis, ut libere possint expendere, dare, erogare, vendere & alia quæcunque facere tam in vitâ, quam in morte de mobilibus Bonis suis; Et insuper quod licitum sit eisdem pro necessitate sua, vel pro sua etiam utilitate immobilia Bona sua vendere paribus suis, vel Teutonicis seu Prutenis, Christianis vel (n) Pomeranis, dum tamen personis præfatis Magistro & Fratribus sufficientem faciat cautionem ad valorem immobilis rei vendendæ, quod postquam vendiderint ad paganos non fugient, vel ad hostes, quos manifestè ipsorum Fratrum constiterit esse hostes. **CONCESSERUNT** præterea præfati Fratres Neophytis ut licitum sit eis condere Testamentum de Bonis suis mobilibus & etiam immobilibus, ita tamen, quod si aliqui aliqua immobilium testamento legaverit alienæ Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ, eadem Ecclesiæ vel personæ illa immobilia infra annum vendere teneatur hæredibus defuncti vel aliis supra dictis, & habeant sibi illa Ecclesiæ vel personæ pecuniam, quam ex venditione receperant pro iisdem. Alioquin anno elapso illa immobilia sic legata & per negligentiam non vendita per annum ad dictos Magistros & Fratres liberè devolvantur, cum (o) idem Magister & Fratres unam faciant Ecclesiam & terram, quam habent in Prussia à Romana Ecclesiæ teneant, credunt & dicunt, quod licitum non sit eis ut terram eandem in dominium alterius Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ transferant absque summi Pontificis consensu & licentiâ spiritali.

Quæ omnia Neophyti gratanter receperunt, & consenserunt coram nobis & aliis supra dictis. Si in prædictis omnibus venditionibus faciendis præfati Magistri & Fratres de quacunque vendenda tantum voluerint dare, quantum alius, ipsi Fratres omnibus aliis præferantur. Et iidem Fratres fideliter promiserunt, quod ipsi non impedient vel procurabunt publicè vel occultè, ut ab alio de re illa minus quam valeat offeratur. **ITEM CONCESSERUNT** Fratres prædicti Neophytis supradictis ut liceat eis liberè contrahere matrimonium cum quibuscunque legitimis ad legitimum matrimonium contrahendum, & ut possint esse (p) Procuratores in omnibus causis, & adversus quoscunque agere & jura repetere, ut tanquam personæ legitimæ ad omnes actus legitimos admittantur, coram iudicibus quibuscunque tam in foro Ecclesiastico, quam in Seculari. Et ut ipsi & filii eorum legitimi possent esse Clerici & religionem intrare, & quod filii ex ipsis Neophytis, qui sunt vel erunt ex Nobili prosapia prognati, accingi possint cingulo militari; & ut omnia breviter comprehendantur, iidem Fratres sæpè dictis neophytis concesserunt libertatem omnimodam probabilem, quamdiu fidem catholicam observabunt & in subjectione & obedientiâ Romanæ Ecclesiæ permanebunt, & erga ipsam Magistrum & Fratres, & domum ipsorum fideliter se habebunt. **ET CONCESSERUNT** iidem Neophyti requisiti à nobis quam Legem intendant vel vellent eligere, vel quæ vellent secularia iudicia observare, habito inter se consilio petierunt & elegerunt legem mundanam & secularia iudicia Polonorum vicinorum suorum, & prædicti Fratres concesserunt eis benignè. Et ad petitionem ipsorum, & ad mandatum nostrum ferri candentis iudicium & omnia alia, si qua sunt in eadem lege contra Deum vel Romanam Ecclesiam sive contra libertatem Ecclesiasticam & ab eadem lege penitus removerunt & concesserunt penitus non servari. Et promiserunt iidem Fratres coram Nobis & aliis

aliis antedictis, quod bona dictorum Neophytorum indebitè non accipient, nec eis auferent, nisi secundum rationabilia iudicia dictæ Legis. PORRO Neophyti sæpè dicti specialiter autem illi de (g) Pomezania, Warmia & Nattania à nobis instructi, quod pares sunt omnes homines, dum non peccant, & quod solum peccatum miseros facit homines & subjectos, & etiam quod quilibet quantumcunque sit liber, si facit peccatum, servum se facit peccati; nolentes perdere supra dictam libertatem, nolle se de cætero subicere homini pro peccato; coram nobis & aliis supra dictis Deo ac Romanæ Ecclesiæ ac Fratibus supra dictis voluntate spontaneâ firmiter & fideliter promiserunt, quod ipsi & hæredes eorum in mortuis comburendis & subterrands cum equis, sive hominibus, vel cum armis, seu vestibus vel quibuscunque aliis rebus pretiosis vel etiam in aliis quibuscunque ritus gentilium de cætero non servarunt; sed mortuos suos juxta morem Christianorum in cæmeteriis sepeliunt, & non extra (r) Idolo quod semel in anno collectis frugibus consueverunt (s) confringere & pro Deo colere cui nomen Curche imposuerunt, vel aliis Diis, qui non fecerunt cælum & terram, quibuscunque nominibus appellarentur de cætero non libabunt, sed in fide Domini nostri Jesu Christi & Ecclesiæ Catholicæ & obedientiâ & subiectione Romanæ Ecclesiæ firmi & stabiles permanebunt. PROMISERUNT etiam quod inter se non habebunt de cætero (t) Tilustones & Linguscho-nes, homines videlicet mendacissimos, histriones, qui quasi gentilium Sacerdotes in exequiis defunctorum in tormentorum infernalium pœna promerentur, dicentes malum bonum, & laudantes mortuos de suis furtis & spoliis, immundiciis & rapinis ac aliis vitiis & peccatis, quæ dum viverent perpetrarunt ac erectis in cælum luminibus clamantes mendaciter afferunt, se videre præsentem defunctum per medium cœli volantem in equo armis fulgentibus decoratum, (u) usum in manu ferentem, &

cum comitatu magno in aliud seculum procedentem, talibus & assimilibus mendaciis populum seducentes & ad ritus gentilium revocantes. Hos, inquam, promiserunt se nunquam de cætero habituros. ITEM PROMISERUNT quod duas vel plures uxores simul de cætero non habebunt, sed unâ solâ contenti cum ipsâ contrahent unusquisque sub testimonio competenti & matrimonium illud in Ecclesia statutis temporibus solemnitate debitâ publicabitur. PROMISERUNT etiam quod nullus eorum de cætero filiam suam vendet alteri matrimonio copulandam & quod nullus uxorem filio suo emet vel sibi. Nam ex hoc inter illos talis consuetudo sicut intelleximus inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem Patris sui aliquis habeat. Cum enim Pater aliquam uxorem de pecunia communi sibi & filio emerat, hætenus servaverunt, ut mortuo Patre uxor ejus ad filium devolveretur, sicut alia hæreditas de Bonis communibus comparata. Et ne quis hac de causa novercam suam possit sibi vendicare ulterius in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiserunt. Si tamen à sponso patri vel sponsæ matri, vel è converso, vestes & alia clenodia data fuerint, vel promissa, vel si dos viro, vel donatio propter nuptias uxori data fuerit vel promissa secundum quod jura permittunt, hoc nullatenus prohibemus. Inde promiserunt dicti Neophyti quod nullus ex eis quacunque de causa novercam suam de cætero ducet in uxorem vel uxorem fratris sui, vel etiam aliam sibi in primo, secundo, tertio, quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu attinentem absque summi Pontificis dispensatione ac licentiâ speciali, & quod nullum utriusque sexûs hæredem legitimum reputabunt, vel ad supradictam hæreditatis successionem admittent, nisi illos solos, qui de legitimo matrimonio secundum Statuta Romanæ Ecclesiæ fuerint procreati. Et quod nullus filium suum vel filiam quacunque de causa per se vel per alium abjiciet vel occidet, de cæterò publicè vel occulte vel ab alio

talia

talia quocunque modo fieri consentiet vel permittet. Promiserunt etiam, quod quam cito puer alicujus natus fuerit vel ad minus infra octo dies si tamdiu potest absque mortis periculo reservari ipsum baptizandum facient ad Ecclesiam deportari & à Presbytero baptizari facient immergendo puerum ter in aquam & dicendo: Puer ego te baptizo in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti. Et quia longo tempore Presbyteris & Ecclesiis caruerunt & idcirco multi non baptizati ad inferos descenderunt & multi adhuc inter eos remanent baptizandi, facient intra mensem in forma Ecclesiæ baptizari, alioqui ut consenserunt, ut bona parentum, qui natos suos infra dictum tempus ex contemptu non fecerint baptizari & etiam bona illorum, qui adulti baptismum pertinaciter recipere noluerint requisiti publicentur, ipsique extra Christianorum fines nudi in tunica expellantur, ne boni aliorum mores ex eorum pravis colloquiis corrumpantur.

PROMISERUNT & illi de Pomezania, quod infra proximum Pentecosten Ecclesias ædificabunt in locis inferius nominatis. Primam in villa quæ vocatur (w) Pogolovve alio nomine (x) Puleus, secundam in villa quæ vocatur (y) Rastellivva, Tertiam in loco, qui vocatur (z) Lingves, Quartam in loco, qui dicitur (1) Liopiez. Quintam in Chomor S. Alberti. Sextam in (2) Bobis. Septimam & octavam in (3) Gezia. Nonam in Profile. Decimam in (4) Resia: Undecimam circa antiquum Christburg: Duodecimam in (5) Rerdiz (6) Tertiam decimam in novo Christburg. Illi autem de Warmia promiserunt, quod infra terminum ante dictum ædificabunt Ecclesias in locis inferius notatis. Primam in villa, in qua sedet (7) Jedu vel propelocum illum. Secundam in (8) Sutimes. Tertiam in (9) Banda-dis. Quartam in (10) Stivia. Quintam in (11) Vuntenone. Sextam in Bronsberg. Illi verò in Natania promiserunt, quod infra ejusdem terminum ædificabunt Ecclesias in (12) Labegano, aliam in vicinia Thumonis. Tertiam in (13) Sveviert & quamli-

bet

bet istam Ecclesiarum tenebuntur ædificare & ornare ornamentis, calicibus & libris & aliis necessariis prout decet. Illi de villis qui sunt vel erunt ad quamlibet Ecclesiam assignatæ, ut ad illam conveniant, & in ea, vel ex ea Ecclesiastica suscipiant sacramenta. Et promiserunt omnes prædicti, quod dictas Ecclesias ædificabunt adeò honorabiles, & decoras, quod plus videbuntur delectari in orationibus factis in Ecclesiis, quam in sylvis. Si autem prædictas Ecclesias non ædificaverint infra terminum supra dictum, consenserunt, ut præfati Magistri & Fratres accipiant vel accipi faciant ab unoquoque ipsorum secundum proprias facultates aliquam rationabilem portionem & ex his ædificare facient Ecclesias ante dictas. Et promiserunt prædicti Fratres, quod dictis Ecclesiis ædificatis ipsi bonâ fide easdem Presbyteris conferent infra annum eisque infra dicta beneficia assignabunt. Et ipsi Neophyti promiserunt, quod ædificatis dictis Ecclesiis ipsi singulis diebus Dominicis & Festivis ad minus suas Parochiales Ecclesias frequentabunt. Præterea præfati Fratres capientes, ut dicunt, ut in dictis Ecclesiis perpetuis temporibus dignè Deo & laudabiliter serviatur, singulas Ecclesias supradictas sic in rerum præsentia dotaverunt ad præsens, quod verò ad sustentationem Presbyteri uniuscujusque Ecclesiæ de prædictis promiserunt & concesserunt octo mansos terræ quatuor videlicet in campis & quatuor in sylvis, & decimam viginti uncorum, duos boves, unum eqvum, vaccam & si decima Presbyteri, quando advenerit parata non fuerit, dabit ei etiam annonam, (14) bladum ad faciendum pro se tertio & pro equo prædicto & etiam pro seminandis agris sibi assignatis, quousque tempus advenerit percipiendi decimam sibi assignatam, & insuper oblationes & legata & alia quæ ei collocata fuerint intuitu pietatis. PROMISERUNT insuper dicti Fratres, quod quando ad majorem pacem & meliorem fortunam venerint, in duabus partibus terræ postquam eis fuerint assignatæ, & numero & bene-

beneficiis ampliabant. Præterea promiserunt neophyti sæpe dicti, quod omnes utriusque sexus tam juveneres quam adulti in quadragesima à carnibus & lacticiis abstinebunt, & in sexta feria similiter abstinebunt, & prout poterunt jejunabunt, & dies dominicos & festivos ab omni servili opere servabunt. Et confessiones suas ad minus semel in anno facerent, proprio Sacerdote & in Pascha recipient sacrosanctum corpus Christi & alia facient & cavebunt, qui debent boni cavere & facere Christiani, prout à Prælatiis suis & aliis viris bonis Catholicis fuerint eruditi. Cæterum ne neophyti videantur ingrati libertatis & gratiæ supradictæ optaverunt, ut dicebant, concesserunt coram nobis & aliis supradictis & firmiter promiserunt, quod quia difficile esset nimis Magistro & Fratibus antedictis omnes villulas Prussiæ circumire pro suis decimis trituras & adducendis ipsi neophyti & successores eorum decimam in horrea dictorum Fratrum annuatim conferrent trituratam. Et insuper promiserunt, quod prædictorum Magistrorum & Fratrum omnium & singulorum vitam, membra, honorem & jura pro posse & bona fide observabunt, nec consentient vel promittent tacite vel expresse, publice vel occulte, quod aliqua fiat proditio contra ipsos, & quod si ipsam noverint factam vel faciendam eam pro posse impediant, vel ita prudenter revelabunt, quod ipsi Magistri & Fratres sibi poterunt præcavere, & quod cum Christiano vel Pagano fœdera indebita sive colligationes & conspirationes contra eosdem Magistrum & Fratres de cætero non facient vel habebunt, & quod ad omnes expeditiones ipsorum ibunt decenter, parati & armati, juxta per proprias facultates & dicti Fratres coram nobis & aliis antedictis firmiter promiserunt, quod si quis ex supra dictis neophytis in expeditiones ipsorum Fratrum à paganis vel hostibus captivati ipsi Fratres sine suo damno ad liberationem illorum fideliter laborabunt, & ut prædicta omnia firmiter & inviolabiliter in perpetuum observentur.

Ooo

Frater

sub (2)

Frater (15) Hermannus ViceMagister dictæ domus in Prussia pro se & universis Fratribus dictæ domus fidem dedit. Et prædicti neophyti coram Nobis corporaliter juraverunt, quod omnia & singula suprascripta sicut promissa sunt & concessa in perpetuum inviolabiliter observabunt. Et hæc omnia facta sunt de consensu partium & concessa salvis in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate, obedientiâ, dominio & jure. Et salvo jure Prælatorum Patriæ præsentium & futurorum & salva omni Ecclesiastica libertate. Et salvis omnibus Privilegiis & libertatibus dictorum Magistrorum & Fratrum. Denique in signum quod præfati discordes reducti sunt ad veræ pacis & concordie unitatem omnes offensas præteritas perpetratas hinc inde Magister & Fratres dictis Neophytis de Pomezania penitus remiserunt, & illis eis similiter vice versa & se invicem coram nobis ad pacis osculum receperunt (16). In quorum omnium memoriam & testimonium præsentis literas sigillo nostro & Episcopi supra dicti, qui nobiscum in omnibus præsens fuit. Et quia religiosus Frater (17) Hermannus Magister dictæ domus in Prussia præsens non erat sigillis præfati Hermannii Vicemagistri & Conventus in Balga & Henrici Marschalci dictæ domus in Prussia fecimus roborari. Actum Anno ut supra MCCXLIX. VII. Idus Februarii.

ANIMADVERSIONES.

(a) Latinum Privilegii hujus exemplar communicavit mecum Nobiliss. Dn. Got. de Peshvitz in clytæ urbis Gedanensis Secretarius. Aliud exemplar Latinum, ex quo hoc emendarem nusquam inveni. Germanica tamen exemplaria duo se obtulerunt. Alterum Elbingæ est penes Magn. Dn. Got. Zamelium Cof. urbis Elbingensis, quod ex antiquo aliquo Codice descriptum est, ut ex Dialecto Lingvæ Germanicæ antiqua, palam est: Alterum est in Codice MS. Magn. Dn. Dan. Wachschlageri Cof. urbis Thoruniensis. Et hoc descriptum est ex Chronico nescio cujus Georgii Kremmeri. Ex his Germanicis exemplaribus plurima nobis insequentibus erunt notanda.

(b) Idem

- (b) Idem annus habetur infra, in ipsa subscriptione. In codice tamen Thoruniensi Kremmerus Privilegio huic in fine subjecit, sibi circumstantias singulas consideranti videri, hoc Privilegium esse datum Anno 1252. Sequntur hunc alii, qui itidem hoc ipsum ad An. 1252. referunt, sed perperam, ut in Animadversionibus ad ipsum Dusburgium probavimus, & ex sequentibus etiam patebit.
- (c) Postea Pontifex Romanus, Urbanus IV. dictus. Hic etiam Sventopelcum Ducem Pomeraniæ Ordini Teutonico infestissimum ad pacem colendam adegit. Vid. Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 66.* Quin his ipsis Pactis cum veteribus Prussis initis interfuisse Sventopelcum tradunt Chronica recentiora. Contrarium verò ex subscriptione horum Pactorum probari potest.
- (d) Magistrum non Magistros & hic & in sequentibus esse legendum, docent Exemplaria Germanica.
- (e) Innocentium III. agnoscit etiam Codex Thoruniensis: omittit verò eum Elbingensis, & quidem rectè. Innocentius enim III. obiit Anno 1216. quo tempore Cruciferi nondum Prussiam habuerunt, ut qui Anno 1226. demum Pacta cum Conrado Duce Masoviæ, de Prussia occupanda iniverunt quam deinde Anno 1231. ingressus est Hermannus Balke Magister Provincialis. Vid. Dusburg. *part. 3. cap. 1.*
- (f) Latinum Privilegii exemplar, ex quo hæc traducta sunt, habet Innocentium V. Sed Chronologia repugnat. Germanica exemplaria habent Innocentium IV.
- (g) Desunt hic quædam in Latino, quæ ex Germanico suppleri possunt, & sunt ferè hæc: *tantis eos oneribus opprimebant, quod alii pagani Prussorum vicini hæc audientes, tollere &c.*
- (h) Corrupta sunt hæc verba. Legendum fortasse, *sicut decet; aut promiserunt*, ut ex Germanico legendum esse probari potest.
- (i) Henrici legunt Codices citati Germanici. Dusburgensis eum Heydnicum vocat. *part. III. cap. 145.*
- (k) Germanici Codices addant: *Von Gottes Gnaden Culmischen Bischoffe* i. e. *Dei gratia Culmensis Episcopi.*
- (l) Thoruniensis Codex habet: *Die nie einem Manne gegeben wår / oder sie beyde nicht.*
- (m) Latinum exemplar habuit *nec non*, sed suffragantibus Germanicis exemplaribus aut substituendam vocem, *hæc*, aut plane inducendam esse duximus.

- (u) Ita legendum esse putamus, non ut antè habebatur, *Romanis*. Germanici Codices non conveniunt, cum Elbingensis legat *Pomern*; Thoruniensis verò *Romern*.
- (o) Particulam *non*, quæ in Prototypo reperiebatur hic expunximus.
- (p) Germanica exemplaria habent, *Bormunde* quod & Tutores significare potest.
- (q) Non Pomerania, ut habet Latinum exemplar, sed Pomezania, ut est in Exemplaribus Germanicis.
- (r) Exemplar Latinum habuit, *Iddo*. Sed Germanica habent, *Abgott* quod Idolum notat.
- (s) Germanica exemplaria legunt, non *brechen* quod est confringere, sed *machen* i. e. conficere.
- (t) Codex Elbingensis ita: *Taliffones und Lugasthones*; Thoruniensis: *Taliffones und Ligasthones*.
- (u) Quid hic per usum intelligatur divinare non possum. Vitiosam esse lectionem palam est. In Germanicis exemplaribus legitur quidem ut hic, *in der Hand tragend*: Sed quid in manu gesserint, non additur. Ex quo apparet, neque eos, qui hoc Privilegium in Germanicam linguam converterunt hanc vocem intellexisse.
- (w) Cod. Elb. *Postleve*. Thoruniens. *Postleve*.
- (x) Thorun. *Buriz*. Elbing. *Bucis*
- (y) Thorun. *Postellina*. Elbing. *Pastellinia*.
- (z) Thorun. & Elbing. *Lingnes*.
- (1) Thorun. *Lupis*. Elbing. *Luxies*.
- (2) Thor. *Polaus*.
- (3) Thorun. *Beria*. Elbing. *Becia*.
- (4) Thorun. & Elbing. *Besia*.
- (5) In Thoruniensi legitur *zu Rade*. In Elbingensi verò hæc plane omittuntur.
- (6) Omittuntur hæc in Cod. Elbingensi; sed agnoscit ea & Codex Thoruniensis.
- (7) Elbing. *Jedin*. Thorun. *Jedin*.
- (8) Elbing. & Thorun. habent *Buganz*.
- (9) Codices Germanici legunt *Baudachs*.
- (10) Nina habet Elbing. At vero Thoruniensis *Ninya*.
- (11) *Bon Denaw* Elbing. *Bon Denetwe* Thorun.
- (12) *Sabiaro* Elb. & Thor.

- (13) Burvere Thorun. & Elbing.
- (14) In Germanico sic redduntur: Getreyde zu Brod und Bier / vor ihm selbst dritte.
- (15) Germanica exemplaria vocant eum Henricum. Estque ille Magister Provincialis Henricus de Wida, qui secundum Dusburgensem Anno 1247. ad hanc dignitatem est erectus. Vid. Dusburg. part. 3. Chron. cap. 66.
- (16) Hæc clausula in Germanicis Exemplaribus brevius concipitur hunc in modum: Umb weicher Dinge alle Gedächtnis und Gezeuge haben wir diesen gegenwärtigen Brief uf Bitte beyder Theile mit unserm Siegel lassen befestigen. Geschehen zu Christburg im Jahre unsers Herrn 1249. im 7. Tage des Monats Juny.
- (17) Eo tempore non Hermannus Magister neque Hermannus Vice-Magister Ordini præfuerunt, sed aut Conradus Landgr. Hassia, ut vult Dusburgensis aut Henricus de Hohenloe, ut ex aliis monumentis colligitur. Vice-Magister autem fuit Henricus de Wida. Suspiciari autem ex hac Privilegii clausula licet, Privilegium hoc Prussis jam antea fuisse datum Hermanno de Salza & Hermanno de Balke Prussiam administrantibus. Tunc autem videlicet Anno 1249. tantum fuisse renovatum. Aut etiam errore Librarii alicujus clausula hæc ex alio Privilegio antiquiore huc est translata.



Ooo 3

DI-

DIPLOMATA QUÆDAM ^(a)

De

Episcopatibus Prussicis, quæ omnia continentur in Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris.

AROLUS IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiarum Rex ad perpetuam rei memoriam. Pro parte Venerabilis ^(b) Joannis Varmiensis Episcopi ^(c) Principis & devoti nostri dilecti, nuper Majestati Nostræ oblata Supplicatio continebat, quatenus nonnullas gratias, quas à sede Apostolicâ obtinuisse dignoscitur gratas de solitæ benignitatis clementiâ habere dignaremur, quarum tenor sequitur in hæc verba.

INNOCENTIUS ^(d) Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri ^(e) Joanni Episcopo Varmienti Salutem & Apostolicam benedictionem Provisionis nostræ debet providere subsidio ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod nos tenorem quarundam literarum felicitis recordationis Innocentii IV. Prædecessoris Nostri in registro ipsius Prædecessoris repertum pro eo, quod sicut tertia petitio nobis nuper exhibita continebant præfata originales literæ, quibus pro Juribus Tuæ Ecclesiæ conservandis Te asseris indigere casualiter sunt amissa, de registro isto de verbo ad verbum conscribi & ad Tuæ supplicationis instantiam fecimus, præsentibus annotari, qui talis est.

INNOCENTIUS ^(f) Episcopus Servus Servorum Dei

Dei dilectis filiis Magistro & Fratribus S. Mariæ Teuthonicorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Limitum Diocessum Prussiæ conjunctæ sibi terræ Culmensis ac divisionem Terrarum ipsius Prussiæ, quas de mandato Nostro apud sedem Apostolicam providâ deliberatione præhabitâ fecit Venerabilis Frater Noster Episcopus Mutinensis Pœnitentiarius Noster in partibus illis Apostolica sedis Legatus, prout in ipsis literis super hæc confectis plenius continetur, ratas habentes & firmas eas Auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti Patrocinio communivimus. Tenorem autem literarum ipsarum præsentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est.

GVILHELMUS miseratione divinâ Episcopus Mutinensis Apostolicæ sedis Legatus omnibus præsentis literas inspecturis salutem. In nomine Jesu Christi. Noverit Universitas vestra, quod Sanctissimus Pater Dominus Innocentius Papa IV. inter alia, quæ ad Legationis officium pertinent commisit nobis in ejus præsentia constituto, ut limitare possemus Dioceses intra terminos nostros Legationis, & Episcopos instituere in iisdem cujus auctoritate de Regionibus jam conversis limitavimus sic Dioceses in Prussia. **PRIMAM** enim Dioccesin limitavimus de terra **CULMENSIS**, sicut circumunt tres fluvii, Vistula, Dryvenca & Ossa, ita quod in eadem Diocesi Lubavia includatur. Veruntamen in terra Culmensi ad Episcopum, qui pro tempore fuerit, pertineat illud duntaxat, quod de communi Consensu & voluntate Episcopi Prussiæ ac Fratrum Hospitalis S. Mariæ Teuthonicorum & hominum in eadem terra Culmensi manentium ordinatum fuit, quando primò ad habitationem illius deserti homines intraverunt. Videlicet una mensura tritici de unco & insuper sexcenti mansi de terra competenti vel competentibus locis ipsius terræ Culmensis; **SECUNDAM** verò Dioccesin limitavimus, sicut claudit Ossa,
Vistula

Vistula & Stagnum Drausen, ascendendo per flumen de Passalve, ita quod insula de Quidino & Santeri in eadem Diocesi habeantur. TERTIAM quoque limitavimus, sicut claudit recens mare ab occidente ad flumen, quod dicitur Prægora sive (g) Lipsa ab Aquilone ad stagnum prædictum Drausen à meridie ascendendo per prædictum Pessalviense flumen contra Orientem usque ad terminos Litvinorum. De non conversâ terra autem Prussia jam dictâ limitavimus jam QUARTAM Diocesem, sicut claudit mare salsum ab Occidente & flumen Memelle ab Aquilone, & meridie flumen Prægora, versus Orientem usque ad terminos Litvinorum, ita quod prædicta flumina omnia communia sint Diocesibus, quæ ipsis fluminibus terminantur. Præterea quia fratres prædicti totum pondus expensarum & præliorum sustinent, & quia multis oportet illos infeudare terras, sic divisimus terras Prussia, ut sive unus fuerit, sive plures Fratres, duas partes integrè cum omni proventu habeant, & Episcopus sive Episcopi tertiam integram cum omni jurisdictione & jure, salvis tamen Episcopo in duabus partibus Fratrum illis omnibus, quæ non possunt nisi per Episcopum exerceri. Verum ut hæc Terrarum divisio effectum debitum consequatur, ipsa in nomine Jesu Christi fiat primò juxta voluntatem & consensum Episcopi ac Fratrum Hospitalis ejusdem, & si concordia intervenire non poterit, tunc Episcopi eligant communes amicos per quos hujusmodi divisio fiat. Et si taliter concordare non poterunt, tunc ipsi Fratres, quia terra ipsis notior est, dividant Prussiam in tres partes, & de una ipsarum partium habeat Episcopus optionem, vel si fortè ipse noluerit eligere, quæ pars ex illis tribus partibus cedat Episcopo, sicut sortes dederint, terminentur, in cujus rei testimonium præsens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum Anagninæ An. Dn. MCCXLIII. die IV. Julii. Indictione primâ Pontificatus ejusdem Domini Papæ anno I.

Nulli

Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Anagninæ VIII. Idus Octobr. Pontificatus nostri anno primo.

Caterùm ut idem tenor sic insertus omnimodam certitudinem faciat, Auctoritate Apostolicâ decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literæ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quodcumque & ubicumque sive in judicio sive alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus & eidem firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem Originalibus literis staretur, si fuerint exhibitæ vel ostensæ. Per hoc autem nullum jus de novo alicui acquiri volumus, sed antiquum tantummodò conservari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Avenione secundo Idus Decembr. Pontificatus Nostri anno tertio. Item alterius Literæ sive Bullæ tenor talis est:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Joanni Episcopo Varmienfi salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex provisione nostra debet provenire, ut Jus suum cuilibet conservetur, hinc est, quod nos tenorem quarundam Literarum felicitis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris Nostri in Registro ipsius Prædecessoris repertum pro eo, quod sicut Tua petitio Nobis exhibitæ, præfata Originalis literæ, quibus Te asseris

P p p

indi-

indigere pro juribus Tuæ Ecclesiæ conservandis; casualiter sunt amissæ, de registro ipso à verbo ad verbum conscribi, & ad Tuæ supplicationis instantiam præsentibus, qui est talis:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri (b) Episcopo Prussiæ salutem & Apostolicam Benedictionem. His quæ per dilectos filios fratres Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum & alios Christi fideles factæ sunt in Prussiæ partibus Divina propitiante providentiâ, cum exultatione Spiritus intellectis, & considerata terræ latitudine ibi per gratiam Dei acquisitæ, Venerabili fratri Nostro Wilhelmo Episcopo quondam Mutinensi, Pœnitentiario Nostro apud sedem Apostolicam constitutus in ipsius Prussiæ & Livoniæ partibus plenæ, Legationis officium duximus committendum, eidem in ipsa Prussia & in terra Culmensi limitandas Diœceses ac ipsius Prussiæ terram dividendi per partes de Fratrum nostrorum consilio potestatem plenariam concedentes. Ita Episcopus ipse tres in Prussia & unam in terra Culmensi Diœceses limitavit, ac tres partes fecit de terra Prussiæ, quarum dilectis Fratribus duas ferentibus præriorum angustias ac expensarum onera, quos oportet Terram infeudare pluribus, deputavit, ita ut sive unus Frater fuerit sive plures duas partes Terræ integræ cum omni proventum habeant; Et Episcopus sive Episcopi tertiam similiter integrè habeant, cum omni jurisdictione & jure, salvis tamen Episcopo in duabus Fratrum partibus illis omnibus, quæ non possunt, nisi per Episcopum exerceri. Verum cum nos limitationem & divisionem hujusmodi duxerimus auctoritate Apostolica confirmandas, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus una ipsarum Diœcesum Prussiæ, quam malueris & parte tertiâ terræ ipsius Diœcesis contentus existens,

stans, terras vel jura ad partem Diœcesis, quam eligendam duxeris pertinentia infeudare, alienare vel dare absque speciali mandato Sedis Apostolicæ non præsumas, sciens quod quicquid de terra Prussia vel terra Culmensi, aut ipsius alienasti proventibus, in irritum revocamus, & ex nunc inane decernimus, si quid contra inhibitionem nostram super prædictorum alienatione, de cætero attentabis: Si vero Diœcesim Culmensem elegeris Tibi, de ipsa Terra Culmensi sufficiat, quod in forma Compositionis factæ super terra Culmensi per Te ac Legatum eundem & dictos Fratres, nec non ipsius terræ incolas plenius continetur. Cæterum temporalia, quæ Tibi Episcopatus jure competunt nomine nostro ac Romanæ Ecclesiæ de ipsius Legati manu accipias, te talem sicut Pontificalis dignitas & religiosa requirit honestas in omnibus redditurum, quæ Deo & Ecclesiæ sit ad gloriam, tibi redundet ad meritum, & Christi fidelibus de Prussia veniat ad profectum. Datum Anagninæ III. Cal. Aug. Pontificatus Nostri anno primo.

Cæterum ut literarum ipsarum tenor hujusmodi infertus omnimodam rei certitudinem faciat, Apostolica Auctoritate decernimus, ut illud idem robur & eam vim eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem habent originales literæ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque & ubicunque sive in judicio vel alibi ubi fuerit exhibitus & ostensus, ut eidem firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem Originalibus literis staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Per hoc autem nullum jus de novo alicui acquiri volumus, sed antiquum si quod habet tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem

omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus
noverit se incursum. Datum Avenione II. Id. Decembr.
Pontificatus Nostri Anno tertio.

Nos itaque habitâ Consideratione Status Imperialis
in quem nos Deus omnipotens, quamvis insufficientibus
meritis sua benignitate præfecit, & ex cujus ordinato Regi-
mine commodis Ecclesiarum præesse tenemur, considera-
tis etiam propriæ Salutis compendiis animo deliberato, non
per errorem aut improvidè sed maturo Principum & Pro-
cerum Nostrorum accedente Consilio dictas literas, gra-
tias & declarationes contentas, in eis gratas & ratas accipi-
mus. Præcipientes universis Nostri & Imperii Sacri fide-
libus, quatenus easdem in suo vigore & robore manutene-
ant & conservent, sub pœna centum Marcarum auri puri,
quam ab eo, qui contra fecerit, toties quoties contra factum
fuerit, irremissibili exigi volumus, & earum medietatem
Nostri Imperialis Aerarii sive Fisci, residuam verò partem in
Curiam passorum usibus decernimus applicari.

*Signum Serenissimi Principis &
Domini, Domini Caroli IV. Romani
Imperatoris invictissimi & gloriosissimi
Bohemia Regis.*

Testes hujus rei Venerabilis Præclarus Episcopus Vratisla-
viensis Imperialis Aulae Nostræ Cancellarius. Illu-
stres Bolio Svidnicensis. Ludovicus Lignicensis. Conra-
dus Olecimensis, Przimko Tecinensis Duces. Spectabilis
Burchardus Burggravius Majdeburgensis Imperialis Curia
Nostra Magister. Albertus de Anhalt. & Joannes de Kez
Comi-

Comites & Nobilis Zbinko de Hazenberg supremus Magister Camerae Nostrae & aliorum Principum, Comitum, Baronum & Nobilium multitudo praesentium sub Bulla aurea Supario nostro Imperialis Majestatis impressa testimonio literarum. Datum in Burglins An. Domini MCCCLVII. Indictione decima, VIII. Calend. Septembr. Regnorum Nostrorum Anno Romanorum XII. Boemiae XI. Imperii vero XIII. Ego Joannes Dei gratia Lutomislen. Episcopus Sacrae Imperialis Aulae Cancellarius, Vice Reverendi in Christo Patris Domini Gerlaci Moguntinensis Archiepiscopi S. Imperii per Germaniam Archicancellarii recognovi.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Deprompta sunt haec Diplomata ex Anonymi cujusdam, libro MS. cui titulum fecit: *Fundatio, Jura, Privilegia & Libertates Ecclesiae Varmiensis, ejusdemque successu temporis gravamina.*
- (b) Joannes II. Streiffrok dictus, cui multae controversiae cum Ordine Teutonico de Episcopatu Varmienfi intercesserunt.
- (c) Eundem, titulum Principis tribuit Carolus IV. Episcopo Varmienfi etiam in alia Bulla, ejusdem Anni, quae in citato libro habetur. Auctor etiam citati libri in epigraphe sua Episcopum Varmiensem Principem Imperii nominat.
- (d) Innocentius est quartus qui Anno 1352. ad Pontificatum est evectus.
- (e) Joanni I. Episcopo Varmienfi, qui Anno 1355. fatis concessit.
- (f) Innocentius IV. Papa Rom. De Episcopatibus his Prussicis & Gvilhelmo Episcopo Mutinensi Vid. Petrus de Dusburg. *Part. III. cap. 33.* ubi etiam in Animadversionibus nostris de Quinto Episcopatu Prussico egimus.
- (g) Annem Pregelam, ut hodiè dicitur, olim appellatum esse Pragoram vel Prigoram notavimus in Animadversionibus ad Dusburgii *part. III. cap. 98.* Lipsam autem eum

olim etiam esse dictum, nusquam alias legimus. Nescio tamen, an huc possim trahere, quæ Hennebergerus in *Commentariis ad Tab. Geogr. Prussiae* de Urbe Löbnicensi Regiomontana refert. Dicit enim quosdam existimare, ei nomen esse impositum à flumine Lebe dicto. Cum autem alius ibi fluvius præter Pregelam & Katzbach non reperitur, suspicari licet, Pregelam Olim & Lipsæ vel Lebz nomen habuisse.

(b) Innocentius IV. Pontifex bullam hæc misit ad Christianum Primum Episcopum Prussiae An. 1243. ut ex subscriptione patet. Conf. *Durburg. part. 3. cap. 33.* Quo minus autem eam ad Henricum successorem Christiani missam esse credam, illud me movet, quod Henricus nusquam Prussiae, sed semper Culmensis tantum Episcopus fuisse dicitur. Prima, quantum mihi quidem constat, Henrici Culmensis Episcopi mentio fit in Privilegio Elbingensi, An. 1246. dato.



(c) Innocentius IV. Pontifex bullam hæc misit ad Christianum Primum Episcopum Prussiae An. 1243. ut ex subscriptione patet. Conf. *Durburg. part. 3. cap. 33.* Quo minus autem eam ad Henricum successorem Christiani missam esse credam, illud me movet, quod Henricus nusquam Prussiae, sed semper Culmensis tantum Episcopus fuisse dicitur. Prima, quantum mihi quidem constat, Henrici Culmensis Episcopi mentio fit in Privilegio Elbingensi, An. 1246. dato.